

versiam Rhetoris à discipulo certam summam stipularitis.
 cum dandam, cum discipulus primam causam obtinuerit.
 Discipulus moram in orandis causis facit, Rhetor igitur agit
 ipse contra eum hoc modo: Hac, inquit, causa, seu vinces,
 ex pacto mihi tenebere; seu vincēris, ex re judicata: Cui di-
 scipulus contra, hac, inquit, causa, seu vincām, nihil Tibi
 ex re judicata debebo; seu vincar, nihil ex pacto. Præcepto-
 rem Protagoram, discipulum Evathlum, Judices Areopa-
 gitas faciunt *Gellius V, 10. Apulej. III. Florid.* At in *Prole-*
gomenis Rheticorū Hermogenis ille Corax, hic Tisias dicitur,
Hieronem verò Judicem acclamasse dubium sententia: *Kακοὶ κόρηνες, κακὸν ὄντε.* Certè *Quintilianus* tam Coraca
& Tisiam Siculos, quam Protagoram & Evathlum de præce-
ptis Rheticæ scripsisse refert, *Inst. or. III, 1.* Contro-
versiam illam soli, quod sciam, decidere conati sunt *Laur.*
Vall. lib. 3. Dialect. & Job. Caramuel à Lobkovvitz. IX. Metalog.
fol. 444. uterq; pro præceptore ex principiis æquitatis ma-
gis quam juris. Et Caramuelis sententiam ex professo expen-
dimus in *Specimine nostro Quæstionum Philosophicarum ex jure*
collectarum, q. 12. Nostra est, hunc casum immerito refer-
ri inter perplexos. Nam Respublica in qua agitur hæc
quæstiō, plus tempore petentem vel ammissione litis punit, ut
olim Romani *s. si quis agens 33. J. de Act. Paul. sent. lib. 1. t.*
10. de plus petendo, & lib. 2. t. 2. de pignoribus s. compensatio. (vel
aliis pœnis uti *Constitutio Zenonis & Justiniani in l. 1. 2. C.*
de plus petit.) vel deniq; ex Jure gentium ammissione instan-
tiæ, uti hodiè moris est; illo casu vixit Protagoras, hoc
vicit. Nam Protagoras cum petat à Discipulo salarium
antequam dies cesserit ac venerit, conditioq; fuerit adimple-
ta (conditio enim salarii est: victoria primæ causæ,) haud
dubiè plus tempore petuisse videbitur. Igitur cadet causa
in hac instantia prima vice, eoq; ipso implebitur conditio
salarii,